



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. Qualitas Hispaniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

CAPVT PRIMVM.

De Hispania recentiori in genere.

§. 1. *Nomen Hispaniae.*

LICET Hispania varios subinde sit experta dominos, & Bar-
barorum prædæ patuerit sæpius, eorum tamen non accepit
nomen, vt Anglia, & Francia, nisi fortè in quibusdam partibus
vt *Andaluzia*, & *Catalania*, vt mox dicetur.

§. 2. *Quantitas Hispaniae.*

LONGITUDO eius maxima desumitur à Pro. *Sancte Crucis* ad
Prom. *Finis terra*, quæ distantia ad Sphæram reuocata, dat vnde-
cim gradus maioris circuli, ac proinde 660. M. passuum.

Latitudo, consideratur à *Freto Gaditano* ad Prom. *Ortegal*, ad to-
tos octo gradus porrecta, qui reddunt 540. M. P.

Circuitus paulò maior definitur à Marianalib. 1. Nam à Crucis
Prom. ad primas *Freti fauces* numerat 1080. M. Pas. Hinc ad ca-
put *Finis Terre* 904. M. P. Inde ad fines Francicos 535. M. P.
Nunc verò nautæ à Pro. *S. Crucis*, ad Pro. *Martini* 270. M. P. Hinc
ad Prom. *Gates* 240. M. P. Exinde ad exteriore fauces 210 M. P.
qui numeri simul ducti reddunt 720. M. P. A fauci bus autem ad
Pro. *S. Vincenty* 160. M. P. Hinc ad Pro. *Sintri* 120. M. P. Inde
ad Pro. *Finis Terra* 400. M. P. Summa huius lateris 680. M. P.
Denique hinc ad *Fontarabiam* 390. M. P.

§. 3. *Qualitas Hispaniae.*

QVIBVS DAM in locis mirè fertilis, quibusdam sterilis supra
modum; ita se hic prodigam, aut nouercam natura præbet. Fert
fructus admodum suaves vt pote magis excoctos: atque ita quan-
diu suppetit Hispanis frumentum natuum, nostrum fastidiunt,
panisque hic quām apud nos saporis exquisitoris. Vina Hispanica
per totam Europam, imò orbem distrahuntur. Minio iam diues
vt olim, item auro, & argento, cuius metallicæ 500. numerantur,

Mm iij

omnes desertæ fossorum inopiâ. Quod minus populosâ sit effe-
cere Coloniæ per totum orbem sparsæ. Testes 20. millia Lusitano-
rum Goæ, 4. millia Hispanorum Mexici, sex M. Cusci in Peru-
uia, ut taceam arces ybique gentium excitatas; itemque nau-
gationes longinquas, quæ quantum hominum absument testan-
tur nostræ vrbes maritimæ. Ante aliquot annos educere poterat
Rex Hispaniæ 100. hominum armatorum millia: in bello Alge-
riano 500. naues instruxit, in Tunetensi 600. in expeditione An-
glicanâ 300. naues armatas. Numerantur in Hispaniâ 1500. op-
pida murata, quorum vndecim Archiepiscopos, 65. Episcopos
habent.

§. 4. Religio Hispaniæ.

EIVS supra reliquos Europæos fuere retinentes, ideoque una
ab hæresibus intacta est; ope maximè Inquisitionis quæ primùm
in Mauros & Iudæos districta, in Hæreticos quoque laxata est.
Ab eâ qui multantur induiti ueste quam *Sanbenito* vocant, raptan-
tur ad supplicium cum iis ceremoniis, quæ populo terrorem in-
cutiant.

§. 5. Mores Hispanorum.

LABORIS sunt, & inediæ supra modum tolerantes, quibus ha-
cenus multa præclaræ confecere. In militiâ ordinu retinentissimi,
certissimi fistulatores, hastati loco moueri difficiles. Mirus eorum
in Principem témque publicam amor. Inuidiâ laborant apud om-
nes gentes, quod Imperij magnitudini tantum tribuit Mariana.
Nusquam gentium, quam hic, eruditioni præmia certiora: quam-
quam litteras humaniores iacere queratur Mariana. Neque mi-
nus certa militiæ præmia, quibus miles gregarius ad Imperium
promoueri potest. Certè omnes ferè ex prouinciis, & arcibus di-
vites redeunt.

§. 6. Lingua Hispanorum.

PRÆCIPVA hic Castellana ex corruptione Latini idiomatis.
Lusitana ex Gallicâ, & Castellanâ temperata, ideoque elegans, &
auribus grata. Valentina & Catalanica Narbonensi propior, in